

## ✠ INITIUM

### SANCTI EVANGELII SECUNDUM JOANNEM

**I**n principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum: et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes créderent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In propria venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his, qui credunt in nomine eius: qui non ex sanguínibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

*Hic genuflectitur:* ET VERBUM CARO FACTUM EST, et habitavit in nobis: et vídimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis.

℞ Deo gratias.